

tus tecum, ut fuit cum Mose, votum est, meo iudicio, nihil ad institutum de obedientiâ sermonem pertinens; sed quale animi læti affectu expressit abrupte, occasione nominati optimi omnibusque chari imperatoris Mosis, qui aperit è vivis excesserat. Et qualia alioquâ vota fieri assolent à populis, cum suis principibus imperia deferunt, ac si dicant: Caterùm optamus, ut Deus tuus, qui te nobis principem dedit, qui te tam benignè nobis audientiam ex nube est allocutus; qui te spiritu sapientiæ amplificavit; cuius tu in hoc imperio es administrator, Mosisque successor; is Deus ita omnia prosperet tuo imperio, ut Mosis imperio prosperavi; cui cum nullo hoste res fuit unquam, quem non, illius ope fretus, facile devicit. Est autem hoc loco observanda optantis populi proba religio, qui Mose omnem felicitatem, non ejus fortunæ, sed Deo acceptam referunt, neque Josuam porrò posse res prosperè gerere, nisi hujus ope adjuvum, agnoscent. Si quis autem ista ad propositam obedientiæ materiem attinere contendat, equidem cum eo non pugnavero. Neque enim à vero aliena fuerit sententia, si quis dicat, eos perpetuum obsequium Josue, quale ante Mose præstiterant, polliceri, modò ut sic illius imperium à Deo dirigatur, ne quid aut imperare, aut aggredi in animum unquam inducat, quod non sit legi voluntati-que divini consentaneum, sicut Mosis actiones omnes à Deo gubernabantur. Itaque vocala פְּ, exceptivè, ut sic dicam, erit interpretanda. Promittunt enim, si istam sequimur sententiam, præcisè obsequium, quatenus à Deo ipse imperator non desciverit: neque alia quàm recta atque utilis, et cum lege Dei conjuncta præscripserit. Et sanè hunc sensum amplexi videntur Talmudici, in eo tractatu, quem *Sanhedrin* appellant, capite decimo tertio; quos sequuntur R. R. David Kimhî, et Levi F. Gersonis. At objiciet aliquis: Notum est illud D. Petri, parandum esse non solùm bonis et æquis, verùm etiam pravis dominis. Et si parentibus permittatur in dominorum mores, vitamque inquirere, vix unquam cuiquam de fore quo suam excuset contumaciam. Verùm non jam agitur de vitâ principis privatâ, sed de ipso imperio. Illa enim qualis sit, parentium non interest; at hoc, si contra republ., contra religionem probam, et in summâ, contra jus fasque exercentur, non debet aliorum hominum obsequio adjuvari. Sed hoc hæcenus. Parcissimè enim illiusmodi locos communes tractare constitui, ne videar otio abuti.

Sequitur in ordine verborum: *Quisquis rebellis fuerit ori tuo*, etc. Jam redeunt ad interruptum voto sermonem de obedientiâ. Quisquis, inquit, vel contra atque tu jussis, egerit, vel aliquid eorum non egerit quæ tu mandaveris, occidatur. Ostendit ergo perspicuè hic locus, quantam ad parendum alicritatem præ se ferant: et simul illam à Mosis imperio prolatam similitudinem, significare summam, et, ut sic dicam, capitalem obedientiam. Tam enim certè, verè, atque ex animo obedientiam se promittere ostendunt, ut ultrò capitis periculum sibi statuunt ipsi, si usquam fallant; similiter atque Mose republ. gerente, capitalis fraus fuit, ei non paruisse. Discimus ergo, eos qui imperata non faciunt, multoque etiam magis qui contraria faciunt, imperiumque legitimum demutant, morte mulctari à justo magistratu posse. Sed neque hunc locum communem persequar longius, disputatum alioqui à multis copiosè.

Illud, *ori tuo*, transnominatio est, ac si dicas: Verbo tuo; ut redditum à Chaldeo est. Postrema illa pars: *Caterùm esto fortis et firmus*; aut votum est; quale illud, quod nuper explicabamus; aut hortatio, quâ universa multitudo per suos allegatos, quamvis sponte suâ currenti principi, calcaria tamen subdit: aut potius, quâ se illius fortitudini, toto animo asserturam declarat, q. d.: Tu modò sis forti et fidente animo, in nobis nihil desiderabis; nos officium erga te, ut imperatorem nostrum, ubique conservabimus.

R. Levi F. Gersonis, sic explicat ista: Modò ut sis fortis firmusque in administrando imperio, secundum legis Dei præscripta. Neque enim, inquit, si jussisset imperator ullam violare, obtemperandum ei fuisset, nisi si pro tempore res ita postulasset. Et hic rursus ille Talmudicos sequitur. Illi enim eo, quem modò indicabam, loco, dum ista verba tractant, disputantque, statuunt, particulam פְּ, quæ hoc loco scribitur, exceptionem significare. Neque verò absurdum videri debet, quòd fortitudo in observandâ lege collocatur. Sic enim superius, vers. 7, ipsum etiam Deum loquentem audivimus, cum diceret: *Prorsus esto fortis et firmus, ut observes præstare universam legem quam imperavi tibi Moses*, etc. Nec est sanè privata illa, et veluti domestica fortitudo, quæ in cujusque animo vitilis obstat, virtutem defendit, militari fortitudine inferior, sed longè etiam superior existimanda, quippe sine quâ fortitudo illa bellica nunquam fructuosa, sæpè

autem noxia est. Sed profert R. Levi alteram quoque sententiam, quasi jubeat populus imperatorem capessere republ., ne ea gubernatore orba, post Mosis excessum fluctet. Et hæcenus explicata à nobis ea ferè sunt, quæ primo capite continentur. A quibus prius quàm discedamus, persolvenda est subdificilis, ut videtur, questio, quæ hoc loco existit, cur opus sit Rubenitas, Gaditas, et Manassenses, quibus sua jam hæreditas attributa cis Jordanem est, trajicere cum cæteris suis fratribus armatos, et tanquam suppetias ferre ipsis, ad debellandum Chananos: quos se profligaturum Deus ipse sæpè est pollicitus; et, ut audiemus, erit totius belli præsentis tum inceptor, tum confector. Ad ista responderi rectè posse puto, nihil illorum quidem viribus opus esse, ad exterminandos veteres terræ incolas, habitatoresque, qui divinis stratagematibus magis quàm armis superabuntur. Neque verò etiam idè solùm voluisse Mosen, divinum consiliorum interpretem, ut fratribus illi suis adessent, quia Deus, etsi per se ipse satis pollens potensque est, tamen humanas res opera ferè hominum administrare assolet; sed multò magis, quia antequàm et victoria bello, et respub. hæreditatis divisione, ac denique religio arce colloccatione, sacrorumque rituum factis initiis constituta essent, dividi populus, absque magnis flagitiis, non potuit. Primum enim ea res mutuos inter se animos plurimum abalienasset, si illæ tribus fortunam suam in communionem magnorum, ut videbantur, periculatorum, quæ restabant, conferre nolissent, statuisentque nullam sibi societatem, communis utilitatis causâ, cum illis esse debere, quorum res nondum satis certæ erant. Ea verò abalienatio sensim legum, et sacrorum communionem, quâ tanquam unius ejusdem civitatis cives inter se omnes conjuncti fuere, dissolvisset: porrò hæc sublata prorsus distraxisset Ecclesiam unitatem, atque adè Ecclesiam ipsam evertisset; quippe que nisi una est,

CAPUT II.

1. Misit igitur Josue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito, et dixit eis: Ite, et considerate terram urbemque Jericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis (1) nomine Rahab, et quieverunt apud eam.

(1) Vox hebræa זִמְרָה, juxta nonnullos hic copam, non meretricem significat. — Vox egyptiæ apud Septuaginta utramque habet interpreta-

nulla est. Deinde cum sacra arca omninò in Chanaanem inferri deberet, ob causas quas opportuno loco explicabimus, non potuerunt illi eam, tanquam Deum ipsum, deserere, prius quàm locum suum cepisset; in quo sibi Deus vellet sacrificari, cum quia ipsi quoque nusquam alibi sacris operari fas esset; tum maximè, quia cum vera religio non legibus et judiciis, sed pietate hominum, et quâdam conjunctione, quæ ipsis cum Deo est, optimè conservetur, si illæ tribus, sui commodi causâ, Deum, veluti adhuc peregrinantem, et ad suos hostes transeuntem, descruissent, fieri vix potuisset, quin ea res, quâdam neglecti officii opinione, ipsos desertores, paulatim à sacro illo delubro, et prouide à debitis ritibus, et cultu legitimo avertisset. Ita est enim ingenium hominum, ut quem suo peccato offenderunt, cum minus amare, sæpè etiam fastidire, et porrò sensim odire incipiunt, prorsum si illiusmodi esse peccatum, ut ejus non facile ipsos possit penitere. Præter istas autem causas, hæc quoque afferri potest, verendum fuisse ne si in transendo tergiversatæ fuissent istæ tribus, suâ illâ retractatione locum aperuissent totius populi diffidentia: ex quâ deinde nova occupandæ Chanaeæ dilatio, erronee vel superioribus perniciosiores fuissent consecuti. Quamvis autem hoc in crimine magis poni debuisset illis, qui præ magna fiducia suæ inconstantiâ, tam facile in alienâ culpâ fuissent offensi, tamen Moses hac ratione potissimum in istis tribus objurgandis uti videtur, cum hæreditatem sibi cis Jordanem assignari illæ postulant. Nimirum Moses magno studio omnem ubique orationem ad vulgi captum, popularemque intelligentiam accommodavit. Hæc autem postrema causa quàm superiores magis perspicua est; imò verò ex illis, quæ nuper adè cum omnium malo maximo acciderunt, planè evidens, et ante omnium posita oculos. Sed hæc quoque hæcenus.

CHAPITRE II.

1. Josué, fils de Nun, crut qu'avant de passer le Jourdain et d'entrer dans le pays ennemi il était de la prudence de le faire reconnaître. Il envoya donc secrètement de Setim, où tout Israël était campé, deux espions, et leur dit: Allez, et reconnaissez bien le pays et la ville de Jéricho. Ils partirent du camp, et arrivés à Jéricho, ils entrèrent dans la maison d'une femme débauchée, nommée Rahab, et se reposèrent chez elle.

2. Nuntiatumque est regi Jericho et dictum : Ecce viri ingressi sunt hinc per noctem de filiis Israel, ut explorarent terram.

3. Misitque rex Jericho ad Rahab dicens : Educ viros qui venerunt ad te et ingressi sunt domum tuam ; exploratores quippe sunt, et omnem terram considerare venerunt.

4. Tollensque mulier viros abscondit, et ait : Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent :

5. Cùmque porta clauderetur in tenebris, et illi pariter exierunt ; nescio quò abierunt : persequimini citò, et comprehendetis eos.

6. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipulam lini, quæ ibi erat.

7. Hi autem qui missi fuerant secuti sunt eos per viam quæ ducit ad vadum Jordanis ; illisque egressis statim porta clausa est.

8. Nectùm obdormierant qui latebant, et ecce mulier ascendit ad eos, et ait :

9. Novi quòd Dominus tradiderit vobis terram ; etenim irruit in nos terror vester, et elangerunt omnes habitatores terræ.

10. Audivimus quòd siccaverit Dominus aquas maris Rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto ; et quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erant trans Jordanem Schon et Og, quos interfecistis.

11. Et hæc audientes pertimimus, et elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum ; Dominus enim Deus vester, ipse est tionem, ut probat Junius in *Epist. Jacobi*, c. 7, v. 5. — In Oriente, præter hospitia dicta *Carravaserai*, alia occurrunt minus ampla, quæ quorundam charitate instituta sunt in peregrinorum refectionem. Non rarò mulieres in his domibus hospitalitatem exercent. — Memorat Herodotus apud Ægyptios mulieres in diversoris hospitas esse. (Drach, *Bibl. de Venec.* edit. 1828-1829.)

2. Le roi de Jéricho en fut averti, et on lui dit : Des hommes d'entre les enfants d'Israël sont entrés ici un peu avant la nuit pour reconnaître le pays.

3. Le roi de Jéricho envoya donc chez Rahab, lui faisant dire : Faites sortir les hommes qui sont venus vous trouver et qui sont entrés dans votre maison ; car ce sont des espions qui sont venus reconnaître tout le pays.

4. Cette femme, prenant ces hommes, les cacha, et croyant devoir mentir pour leur sauver la vie, elle répondit : Il est vrai qu'ils sont venus chez moi ; mais je ne savais pas d'où ils étaient ;

5. Et lorsqu'on ferma la porte de la ville pendant la nuit ils sont sortis en même temps de chez moi, et je ne sais où ils sont allés. Poursuivez-les vite, et vous les atteindrez ; car ils ne peuvent être loin.

6. Or, elle avait fait monter ces hommes sur la terrasse de sa maison, et les avait cachés sous des bottes de lin qui y étaient.

7. Ceux donc qui avaient été envoyés de la part du roi, les poursuivirent par le chemin qui mène au gué du Jourdain ; et aussitôt qu'ils furent sortis, les portes de la ville furent fermées afin que ces espions ne pussent se sauver s'ils y étaient restés.

8. Ces hommes qu'elle avait cachés n'étaient pas encore endormis lorsqu'elle monta où ils étaient, et que, pleine de foi en la puissance du Dieu d'Israël, elle leur dit :

9. Je sais que le Seigneur votre Dieu vous a livré ce pays, car la terreur de votre nom nous a tous saisis, et tous les habitants de ce pays sont tombés dans le découragement.

10. Nous avons appris qu'à votre sortie d'Égypte le Seigneur sécha les eaux de la mer Rouge aussitôt que vous y fûtes entrés, et de quelle sorte vous avez traité les deux rois des Amorrhéens qui étaient au-delà du Jourdain, Schon et Og, que vous avez fait mourir.

11. Ces nouvelles nous ont épouvantés ; le frayeur nous a saisis jusqu'au fond de l'âme, et il ne nous est demeuré aucune force à votre arrivée ; car celui qui est le Seigneur votre Dieu est aussi lui-même le Dieu qui règne en haut dans le ciel et ici-bas sur la terre, et

Deus in cælo sursum et in terrâ deorsum.

12. Nunc ergo jurate mihi per Dominum, ut quomodò ego misericordiam feci vobiscum, ita et vos faciatis cum domo patris mei ; detisque mihi verum signum.

13. Ut salvetis patrem meum et matrem, fratres ac sorores meas et omnia quæ illorum sunt, et eruatis animas nostras à morte.

14. Qui responderunt ei : Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos ; cùmque tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam et veritatem.

15. Demisit ergo eos per funem de fenestrâ ; domus enim ejus hærebat muro.

16. Dixitque ad eos : Ad montana conscendite, ne fortè occurrant vobis revertentes ; ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram.

17. Qui dixerunt ad eam : Innoxii erimus à juramento hoc quo adjurasti nos,

18. Si ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, et ligaveris eum in fenestrâ per quam demisisti nos, et patrem tuum ac matrem, fratresque et omnem cognationem tuam congregaveris in domum tuam.

19. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput ejus, et nos erimus alieni ; cunctorum autem sanguis qui tecum in domo fuerint retribuetur in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit.

20. Quòd si nos proderè volueris et sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc juramento quo adjurasti nos.

21. Et illa respondit : Sicut locuti estis ita fiat. Dimittensque eos ut pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestrâ.

qui y dispose toutes choses comme il lui plaît ;

12. Jurez-moi donc maintenant par le Seigneur que vous userez envers la maison de mon père de la même miséricorde dont j'ai usé envers vous, et que vous me donnerez un signal assuré.

13. Pour sauver mon père et ma mère, mes frères et mes sœurs et tout ce qui est à eux, et pour nous délivrer de la mort.

14. Ils lui répondirent : Notre vie répondra de la vôtre, pourvu néanmoins que vous ne nous trahissiez point ; et lorsque le Seigneur nous aura livré ce pays, nous userons envers vous de miséricorde, comme vous en avez usé envers nous, et nous exécuterons avec fidélité nos promesses.

15. Elle les fit donc descendre par une corde qu'elle attachâ à sa fenêtré ; car sa maison tenait aux murs de la ville.

16. Et avant de les faire descendre elle leur dit : Allez du côté des montagnes, en vous détournant du chemin qu'ont pris ceux qui vous cherchent, de peur qu'ils ne vous rencontrent quand ils reviendront ; et demeurez là cachés pendant trois jours, jusqu'à ce qu'ils soient de retour ; et après cela vous reprendrez votre chemin.

17. Ils lui répondirent : Nous nous acquitterons du serment que vous venez d'exiger de nous,

18. Si, lorsque nous entrerons dans ce pays, vous mettez pour signal ce cordon d'écarlate, si vous l'attachez à la fenêtré par laquelle vous nous avez fait descendre, et que vous ayez soin en même temps d'assembler dans votre maison votre père et votre mère, vos frères et tous vos parents.

19. Après cela, si quelqu'un est trouvé hors de la porte de votre maison, son sang retombera sur sa tête, et nous n'en serons pas responsables ; mais si l'on touche à quelqu'un de ceux qui seront avec vous dans votre maison, leur sang retombera sur notre tête.

20. Si vous voulez nous trahir et publier ce que nous vous disons, nous serons quittes de ce serment que vous avez exigé de nous.

21. Et elle leur répondit : Qu'il me soit fait comme vous le dites. Et les laissant partir, elle suspendit dans la suite un cordon d'écarlate à sa fenêtré.

22. Illi verò ambulantes pervenerunt ad montana, et manserunt ibi tres dies, donec reverterentur qui fuerant persecuti; quærentes enim per omnem viam non reppererunt eos.

23. Quibus urbem ingressis, reversi sunt, et descenderunt exploratores de monte; et transmissio Jordane, venerant ad Josue filium Nun, narraveruntque ei omnia quæ acciderant sibi,

24. Atque dixerunt: Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, et timore prostrati sunt cuncti habitatores ejus.

TRANSLATIO EX HEBRÆO.

1. Cæterum miserat Josua filius Nun è Sittim duos viros exploratores, occultè, dicens: Ite, inspicite terram, et Jericho. Profectique venerant domum mulieris meretricis, nomine Bahab, et cubaverunt ibi. — 2. Dictumque fuerat regi Jerichuntis, his verbis: En viri venerunt huc, nocte ex filijs Israel, ad speculandum terram. — 3. Miserat igitur rex Jerichuntis ad Rahab, dictum: Productio viros venientes ad te, qui venerunt in domum tuam: qui explorandæ totius regionis causâ venerunt. — 4. Sed acceperat mulier ipsos duos viros, et occultârât utrumque: dixeratque: Ita est, venerant, ad me viri, sed nesciebam unde essent. — 5. Cùmque esset claudenda porta in tenebris, viri illi egrediebantur; verum non novi, quò abierint viri; inseguimini celeriter ipsos, comprehensuri enim estis eos. — 6. At ipsa illos subduxerat in solarium, et occultaverat ipsos in lincis ligni, quæ disposita habebat super solarium. — 7. Itaque viri illi insecuti fuerant ipsos, viâ quæ est versùs Jordanem, versùs trajectum. Clausebant autem portam, postea quàm egressi fuissent, qui illos insequerantur. — 8. Cùmque isti nondùm dormirent, illa ascenderat ad ipsos in solarium. — 9. Dixeratque ad ipsos viros: Scio quòd dederit Dominus vobis terram. Et quia formido vestri incidit nobis, et quia dissoluti sunt omnes incolæ terre, propter vos. — 10. Audivimus enim, quòd exsiccavit Dominus aquas maris Rubri, vestrà causâ, cùm egredere mini ex Ægypto, et quæ fecistis duobus regibus Amorrhæorum, qui erant cis Jordanem, ipsi Sehon, et ipsi Og, quos devolvistis. — 11. Ac simul atque audivimus, liquefactum est cor nostrum; neque constitit deinde spiritus in quoquam, propter vos, eò quòd Dominus Deus vester sit Deus supra in cælo, et subter in terrâ. — 12. Jam ergo jurate, obsecro, mihi Jehovam, quia usa sum erga vos pietate, vos quoque usuros esse erga domum patris mei pietate, et datus mihi certum signum. — 13. Conservatosque in vitâ patrem meum, et matrem meam, fratresque meos, et meas sorores, ac quicquid habent; crepturosque animas nostras morti. — 14. Viri verò ad illam dixerant: Anima nostra pro vobis ad moriendum; modò non deluleritis hanc rem nostram, et futurum est, ut quando tradiderit nobis Dominus terram, utamur erga te pietate et veritate. — 15. Itaque demiserat illos fenestram, nam ipsius domus erat in muro menium, atque in moenibus ipsa habitabat. — 16. Dixeratque ad illos: In montem abite, ne fortè occurrant vobis qui persequuntur. Et illic latebitis triduum, usque dum redierint qui persequuntur, post verò pergetis per iter vestrum. — 17. Viri verò dixerant ad illam: Nos innoxii ab hoc tuo jurejurando, quo nos devinxisti. — 18. Ecce, intrantibus nobis in terram, textum filii coccinæ hujus alligabis fenestras, quo nos demissisti: et patrem tuum, matremque tuam, tum fratres tuos, et omnem domum patris tui contrahas ad te in domum. — 19. Futurum est autem, ut quisquis exiverit ostium domus tuæ foras, illius sanguis sit in caput ipsius, nos verò extra culpam. At quisquis tecum fuerit in domo, illius sanguis in nostrum caput, si manus eum tetigerit. — 20. Et si prodideris hanc rem nostram, erimus etiam innoxii ab jurejurando tuo, quo nos obligasti. — 21. Responderat autem: Ut verba vestra, sic esto: simulque dimiserat illos; et abierant, illa porrò alligaverat textum coccinæ fenestras. — 22. Profectique pervenerant in montem; et manserunt illic triduum, donec essent reversi qui persequerantur.

22. Eux s'étant mis en chemin marchèrent jusqu'aux montagnes, et y demeurèrent trois jours, jusqu'à ce que ceux qui les poursuivaient fussent retournés; car les ayant cherchés dans tout leur chemin ils ne les trouvèrent point.

23. Et après qu'ils furent rentrés dans la ville, les espions étant descendus de la montagne s'en retournèrent; et ayant repassé le Jourdain ils vinrent trouver Josué, fils de Nun, et lui racontèrent tout ce qui leur était arrivé.

24. Ils lui dirent: Le Seigneur a livré tout ce pays-là entre nos mains, et tous ses habitants sont consternés par la frayeur qui les a saisis, à l'approche de l'armée du Dieu d'Israël.

hantur; vestigaverant autem qui persequerantur, per totam viam, verum non invenerant. — 23. Reverterant itaque duo illi viri, et descenderant de monte, atque trajecterant. Et cùm pervenissent ad Josuam filium Nun, narraverant ei omnia quæ sibi acciderant. — 24. Dixerantque ad Josuam: Nam Dominus tradidit in nostram manum universam regionem: atque etiam liquefacti sunt omnes incolæ regionis propter nos.

COMMENTARIUM.

VERS. 1.— CÆTERUM MISERAT JOSUA FILIUS NUN È SITTIM, etc. Diximus superiore capite, plaustrissimam esse historie seriem, si, quod hoc toto capite refertur, actum esse accipiamus, antequàm imperator constitisset populo triduum ad trajiciendum in Chananeam, edixissetque ut se ad illud iter compararent. Eâ igitur de causâ utimur in his convertendis, ferè verbis præteriti plus quàm perfecti temporis, ut vocant grammatici. Sed enim mirabile videri potest, quòd imperator speculatores in hostilem terram præmittit, postquàm ei Deus tam prolixè certissimam victoriam est recens pollicitus, ut confidere ei, atque in divinis verbis acquiescere potius debuerit, quàm per hujusce generis machinationum procuratorem, suâ prudentiâ atque industriâ nisi. Verum enimverò, qui istam imperatoris sollicitudinem admirantur, haud illi profectò divina promissa eujusmodi sint, rectè existimant. Audivimus ante: Omnem locum, quem calcabit planta pedis vestri, cum vobis dedit. Et rursum: Non consistet quisquam adversus te. Atque in ipsis belli principijs videbimus Jerichunta clausam, atque exclusos Israelitas: Videbimus imperatorem in agro solum, quasi machinamentum quoddam secum meditantem capiendæ urbis, neque capientem tamen, nisi novo quodam oppugnandi genere à Deo commonstrato; videbimus Haienses deinde non nisi militariis artibus superari. Sed quid multis opus est? Secordis planè et stulti est animi, quæ à Deo promittuntur, ea hiando in cælum, et quod vetere adagio jactatum est, otiosis manibus implorando fortunam, expectare. Debent illa quidem fide sanctissimâ et certissimâ sperari, ut ad eo, qui fallere nequit, sed interim nobis quoque sedulo est allaborandum, ut ubique illius divinæ voluntatis rationem atque ordinem, pro viribus, sequamur; quibus divina dona nobis dispensare æterno ipsius consilio visum est. Eò enim præclarissimâ illâ mentis vi, quam rationem vocamus, pollere nobis dedit; tot artibus, tantique rerum cognitione vitam nostram instruit; tam multis, et quidem divinis præceptis gratam sibi religionem nostram formavit, denique in his omnibus liberâ nos voluntate uti concessit, ut ne otiosa

atque supinâ credulitate omnia ab illius paternâ benignitate expectaremus bona quasi ea nobis, aut nihil, aut aliud agentibus, juxta sint obtventura: sed et actiones nostras omnes, et ipsam imprimis nostram voluntatem, congruerent illius divinæ beneficentiæ compararemus, præsertim cùm ipse in his omnibus etiam nostros conatus promptè, suo cælesti favore et gratiâ, adjuvet. Mittit igitur imperator speculatores, qui situs habitusque locorum, ad quæ primùm duendum est populus explorent; non quòd hanc suam industriam promissæ à Deo victoriæ efficientem fore statuat, sed quòd ritè Dei operationi obsequatur, et subserviat, suoque arbitrio eam quodam modo adjuvet. Sed verò in eo meritò miretur aliquis, non metuisse Josuam penè domesticum Mose exemplum, cui malè cessit exploratores præmississe.

Verum existimandum est, nihil nisi consulto Dei oraculo, hic fecisse Josuam. Ad instans, Mosen quocquè, jubente Deo, infelicissimam illam instituisse legationem. Id enim disertè in Numeris 13, 5, scriptum est. Est quidem id illic scriptum; sed non tam ultrò jussisse Deum Mosei, ut speculatores præmitteret, quàm id importunè postulanti populo concessisse, dilucide ostendunt ea, quæ in Deuteronomio habentur. Cùm enim illius promissis pesuit, cùm postularet uno ore, ut exploratores præmittere sibi liceret. De quâ re consultus à Mose Deus, annuit ille quidem, sed ut meritis illi pœnas suæ diffidentie darent. Ad hic nulla neque in populo, neque in ipso duce animi cernitur. Sed urges etiam nunc: Si satis fidente omnes animo erant, nihil fuit opus speculatu. — Atqui Deus nostræ nobis imbecillitatis infime conscius, succurrit ultrò, modò ut nosmet nos

dociles præstemus. Ejus enim rei memorabile exemplum nobis proposuit sacra historia in Gedone; admodum profecto huic loco consentaneum. Postquam enim illum de victoria adversus Madianitas certissimum reddidisset Deus, pluribus ostentis, igne è petra excitato; qui madens sacrificium voraret, velle nunc humido, nunc siccò ab rore, denique novo atque inusitato bibentium militum ritu, neque jam dubitaret ille amplius; sed fidenter planè, præter solos trecentos milites, cæteros omnes amitteret; tamen insuper confirmare ipsum amplius voluit, atque ad audienda etiam hostium somnia misit, quibus flet certissimus, quid illi metuerent.

Quid igitur mirum, si post superiora, quæ audivimus, promissa, benignissimus Pater Deus suum imperatorem, ut hominem, hoc insuper speculorum bono nuntio animare voluit? Cæterum cur duo modò, non autem quot à Mose, hoc est, duodecim mittantur, causa non longè petenda est. Illi universam regionem pervidere debebant, urbesque omnes, et loca omnia observare; his non ultra pauca stadia est progrediendum. Illi, quamvis multi, facile securos etiam tum incolæ fallere poterunt. Illi ne duo quidem perturbatam metu proximi exercitus civitatem latere queunt.

Sed hoc sanè obscurius videri potest, cur eorum, quos Moses mittebat; nomina tribusque prodantur, at hi quinam fuerint, prorsus sit prætermissum silentio. Verùm probabile est, quia illic non à solo Mose, sed à populo tributum creabantur, quibus id negotii mandaretur, idè nomina ipsa, ut è quaque tribu data sunt, ita ex annalibus in hunc sacrum commentarium relata esse. Hic verò, quos imperator suo arbitrato, et quantum apparet, clam populo, neque eos, ut est credibile, viros primarios, quales illi fuere, sed è vulgo cautos, et solertes, atque versutos amandat, mirum videri non debet, si hæud nominentur. Ad hoc, digni erant illi, decem quidem, quorum detestanda inertia, mollitiæque animi; et ducta fiducia monumentis annalium procederent, propagarenturque posteritati. At istorum nullum facinus magnoperè vel predicandum, vel vituperandum apparet. Quid enim aliud, quam mandanti imperatori suo parent; et quæ à mulierculâ audiverant, eâ fide bonâ, et debent, referant? Sed quamvis ipsa historia sacra istorum tacuerit nomina, vetustiores tamen Hebræorum scriptores, in commentario,

cui ab auctoris sive compilatoris nomine, titulus est; *Tanhuma*, alioqui autem, *Jelammiedem*, inscribitur; affirmare non dubitaverunt, alterum Phineen, Eleazaris pontificis filium, alterum Calebum fuisse, Verùm ego illis, cum nullo probabili argumento id conciant, prorsus non assentior. Verisimilius enim puto; imperatorem, excitatis atque intentis jam tum hostium animis, non nisi vulgares aliquos viros summo periculo objecisse; sed quos tamen astu atque cautione versutos, animoque forti et impavido præstantes esse sciret; non molli et ignavo, quali fuere Mosis exploratores; tametsi alioqui inter suos quisque tribules nobilitate excelleret. Nam qui stupido, atque servili ingenio contemptibiles sunt speculatores, ut Xenophon scribit, si nihil, nisi quod apud omnes est pervagatum; rescire, atque referre possunt; at qui solerti agendi cogitandique polent, præsertim si et dignitate aliquam rectè simulare, et simulate existimationem sustinere possunt; etiam ipsa hostium arcana consilia sæpè explorant. Et hæc sanè spectare putat R. David Kimhi, quòd hi nostri vocantur *שׂוֹטְרֵי עִיר*, *etiri*, ut sit pluralis numerus à singulari, *שׂוֹטֵר*, non ab *שׂוֹטֵר*. Sicut enim apud Latinos, vir à vi, ita apud Hebræos, *שׂוֹטֵר*, quod virum significat, ab *שׂוֹטֵר*, hoc est, à firmitate, sive fundamento, dici videtur. Et Septuag. *σπυριτοειδεις*, reddiderunt; quo verbo, audaciam illorum hominum, et strepuitatem potius, quam ceteram juvenilem significare eos voluisse existimo.

Porrò quòd scribuntur missi *occultè*, in ambiguo est, an ad exsequendum latenter officium spectet, an verò clam populo, neque scisciente speculatum; missos ab imperatore esse, significet. Mihi posterius placere solum potest. Nam cum ea sit omnium speculorum vel præcipua conditio, ut sint taciti, neque effiantur quæ in mandatis habent; sed quidvis potius simulant, supervacaneum profectò fuerit, si de eam ineptum, id monere. Ad hoc, si de ipsorum speculorum taciturnitate ageretur, alla esset verborum constructio; pro lingua hebrææ usu, Scriberetur enim, *כִּבְרֵי דָוִד*; hoc enim exploratores tacitos significaret. Existimo igitur hoc adverbio indicari antithesin inter hos, qui clam populo, et illos Mosis, qui populo scisciente sunt emissi. Sed R. Levi F. Gersonis longè diversam sententiam assertit. Eius enim verbum, *דָּוִד*, significat cogitationem animique machinationem, aut propositum. Nam verbum *דָּוִד*, significat interdum machinari, atque

agitare aliquid animò, ut In Proverb. 5, 29: *Ne machineris malum adversus amicum tuum*. Et rursum 14, 22: *Misericordia, et veritas tuis qui machinantur bonum*. Explicat autem ille hunc locum in hac sententiam; *Misit*, inquit, *Josua duos viros explorandos cogitationem, hoc est, qui dextri essent in explorandis tuis, quæ animis volebant hostes*. Nimirum nullà re magis hesitant milites, quam ignoratione consiliorum hostis; nullaque rursum animantur, juvanturque magis, quam cognito adversariorum metu et trepidatione. Atque huic rei argumento esse, ait ille, quòd nullà usquam exploratæ urbis mentio est; quòd non situs locorum, non propugnacula, sed unum hoc, quod in obscuro meretricis gurgustio didicerant, civitatem universam consternatis esse animis; id speculatores isti referunt. Nam si, inquit, aliud quam quæ mente essent hostes, observare illi fuissent jussi, cum præterea nihil renuntiarent, excussissent saltem se sub noctem ingressos urbem, et paulò post, propter periculum, egredi coactos, nihil aliud observare quivisse. Hæc ferè Levi, non prorsus profectò absurdè, nisi ea nominis *דָּוִד*, notio, nisi fallor, exemplo careret, quanvis verbum ipsum *דָּוִד*, ab illa non sit alienum.

Jan verò quòd de situ urbis locorumque opportunitate, nihil neque referunt speculatores, neque percontatur imperator, credibile est, multa inter illos ultrò citròque habita esse verba, quæ non sunt hoc commentario perscripta. Nam ipsa, quæ expressa est, narratio, apertè abrupta est, ut in extremo hujus capituli videamus, ubi pluribus ista explicanda erunt. Et aliqui memorantur omnia ad imperatorem retulisse, quæ sibi acciderant; quod mihi videtur ad visum, auditæque etiam pertinere. Et verò qui se haberent cætera, hæud multùm referre videbatur; unum hoc cum certum esset, fractis animis esse hostes. Nam vulgari verbo, eodemque in re bellicâ longè verissimo, fertur: *Qui animis cadunt, eos excidere omnibus bonis rebus*. Alius autem loci hujus sensus est productus in commentariis, quos nuper, *Tanhuma*, appellabam; quem, quia insolitus atque ineptus mihi videtur, non referrem, nisi à R. R. Salomone et Davide Kimhi seriò citaretur. Sic igitur scriptum in *Tanhuma* est: *Quid sibi vult illud דָּוִד? R. Juda ait: Fabrilis instrumenta habebant in manibus, ut fabri putarentur.* R. Nehemias ait: Simulabant se figulos esse, et et ficilla per eam causam venalia proponebant, ne alicui essent suspecti. Hæc scri-

ptores veteres, quos laudat *Tanhuma*, ut sunt acuti ad commiscendas nugas, quantumvis absurdas. Nimirum, quia illa positio, *דָּוִד*, alia atque alia significat. Etenim quia et etiam surditas subjicitur, existimantur scriptores vetusti commentarii in historiam Ruth, imperasse suis speculatoribus Josuam, ut surditatem præ se ferrent, quò, quæ vulgò dicebantur, possent, nihil suspecti percipere omnia, quam opinionem laudare videtur R. David Kimhi, præ aliis, in suis Radicibus; stultò sanè, quippe quam ipsa verborum constructio, ut de taciturnitate dicebamus, satis refellit. Sed mittamus exæcatorum hominum somnia veridica, quam judicis: illudque videamus, quod queri solet: An tantæ probitatis, quantæ erat Josuæ, fuerit, speculorum operâ uti, quæ fraudi affinis videtur, atque improbitati, ac non potius aperto Marte, et virtute bellicâ rem gerere? Habet quidem apud vulgus hominum laudem majorem victoria, quæ corporis viribus paratur, quam quæ ingenii. Quippe imperita multitudo, quæ ad corporis robur attinet; facilis estimat, quàm ea quæ in animi industriâ sunt posita. Sed profectò, ubi justum bellum geritur, ibi non magis hostium consilia explorare, quam vires viribus frangere, in vitio est ponendum. Imò verò, quanto animus corpori præstat, tanto laudabilis illo, quam isto, adversarium oppugnaverit. Et quicumque ratione, modò ut ne fidem frangas, potiores tibi partes paraveris, gloriosum tibi fuerit. Nam prudenter Habradates apud Xenophontem existimabat, in bello potiores partes præoccupasse, cum salutare, tum justum esse et felix; atque ut consilio valere, sic suas artes tegere, hostium verò mentem cogitationemque inquirere, et consilia callidè præripere, summa esset imperatorum virtus existimata semper à viris maximis. Estque illud Antigoni pervagatissimum, qui cum rogaretur, quâ ratione hostis esse superandus, respondit, *ἢ βλάψῃς, ἢ εὐφραδέως, ἢ ἀποφραδέως*. Quanquam dolo malo uti, improborum esse ego certè dixerim, etiam adversus hostem.

Porrò quis locus fuerit Sittim, unde mittuntur speculatores, sive Sittim, aut Sattim, ut Græci et Latini reddunt (mirè enim ubique vitata sunt locorum nomina propria, quibus Hebræi utuntur, propter incertas vocales), dibus Hieronymus descripsit commentariis suis in Joëlem. Sed, inquit, Sittim locus iuxta Liviadem, trans mare Mortuum, sexto ab illâ distans milliario, ubi quondam cum Madianitis

fornicatus est Israel. Cæterum Livias locatur à Ptolomæo, trans Jordanem, supra Calliroen, memorabilem fontem, ad septentrionem versus circiter 16 mill. pass., orienti verò propinquior ferè pass. millia quatuor. Idem ille in Michæam scribens, ait, Sittim esse locum cognominem celeberrimis illis sacræ historiæ arboribus, quæ ejus etiam seculo per arenam montis Sinai nascebantur, spinæ, quam vocant, albæ simillimæ et colore, et foliis; cæteroquei magnitudine tam grandes, ut latissima tabulata (utor ejus verbis) ex ipsis cæderentur: materie verò firmissimâ, et incredibilis levitatis pulchritudinisque. Et tamen, tam pretiosæ materie arbores nusquam ferè colebantur, sed per solitudinem nascebantur Arabiæ. Habuit igitur locus iste nomen hoc, *Sittim*, ab illo arborum genere, quarum credibile est, eum fuisse feracem. Cæterum, quia planities erat, montium Abarim fastigio, ad Jordanem versus, submissa, idè in Numeris appellatus est, *Abel Sittim*; et apud Joëlem, *Nahal Sittim*, quorum utrumque planitiem Sittim significat. In summâ, Sittim fuit is locus, ad quem usque pertinebant castra, quæ ultimâ mansione facta à Mose fuere in campis Moabiticis: abhincque ab Jordane, si vera scribit Josephus, stadiorum sexaginta intervallo, quod supra quoque diximus.

Sequitur in sacrâ narratione: *Ite, inspicite terram et Jericho*. Quorum verborum sententia, ut mihi videtur, aperta satis, atque exposita est; quâ autem ratione ea præcisius interpretetur R. Levi F. Gersonis, modò diximus. In vetustis illis commentariis *Siphre*, quæ jam semel atque iterum sunt à nobis citata, est annotatum, eum universè datum illis esset in mandatis, ut terram explorarent, addi deinde speciatim, et *Jerichunta*, nimirum, quia in eâ urbe capiendâ maximum victoriae momentum esset positum. Taleque etiam illud esse loquendi genus: *Rex Salomon amabat multas feminas alienigenas, et filiam Pharaonis*. Et illud: *Libavit (Davidem) Dominus de manu omnium hostium ipsius, et de manu Sais*; præterea illud: *Desiderabantur et servis David novem decim viri, et Hasael*. Nimirum Pharaonis filia præ cæteris mabatur à Salomone, et Saul inter hostes Davidis, Hasael verò inter ejusdem ministros facile fuere primi. Sed nos, quod de terrâ explorandâ præcipitur, id de proximorum locorum situ ad castra faciendâ, atque duendum cautè populum, dici existimamus, quanquam aliqui non repudiemus quod è *Siphre* est prolatum.

Nomen, *Jericho*, nos Hebræum secuti, per J litteram consonantem scribimus, et cum Stephano Bizantio aspirationem litteræ *Heth*, utcumque per, *ch*, representamus; nam litteræ, *K*, sonus quâ Strabo lib. 16 utitur, parùm illi Hebræorum litteræ consentaneus est, ne dicam planè adversarius. Incertum est autem, an à lunæ nascentis formâ, quâ illa planities est, quæ Jerichuntem urbem habet, atque etiam Jericho interdum appellatur, non solum in sacrâ historiâ, sed à Strabone quoque; an verò à balsami suavissimo omnium odore, impositum illi hoc nomen sit. Certè balsamo, et palmæis apud scriptores adeò est nobilitata, ut Plinius ei soli balsamum concedat. Quanquam Dioscorides, et nostri quoque seculi homines, qui ea loca peragrârunt, affirment, Ægyptum etiam id genus arbusculas ferre. Et Strabo Cavam quoque Syriam, quæ inter Libanum et Antilibanum jacet, non nulli etiam maritima Sabæorum loca producere balsamum dicant. Describit quidem Jerichuntem et Josephus, et Strabo satis luculenter, ille libri quinti de Bello Judæico capite 4; hic libro 16. Verùm, cum sit locus etiam evangelicæ historiæ nobilissimus, facere non possum, quin breviter de eo quædam in medium afferam.

Sita fuit Jericho in planitie, ut Josephus ait, longa spatio stadiorum circiter 70, lata verò 20, fertilitate atque amenitate tantâ, quantâ non facile alteram toto terrarum orbe conspicias. A septentrione enim (persequor Josephi, ut oculati testis, sententiam) oppositum habebat montem, qui inde ad Scythopolitanos agros, hoc est, propè urbem Bethsan usque porrigebatur, nimirum eum, qui valli, quam vocant Illustrem, objectus ab occidente, montes excipit Ephraimiticos. Versus austrum verò spectabatur ab Jerichunte mons, usque ad lacum Asphaliten, sive mare Mortuum, protensus; imò verò hinc ulterius propè ad desertum Maon usque. Nam montes Enggadi tam longo jugo producti, occurrunt à tergo Jerichuntis illi monti, quem ei à septentrione oppositum fuisse modò dicebam. Ab oriente, hoc est, quâ Jordanis rectâ petitur, liber sic satis prospectus erat. haque ab eâ parte, ille quem dixi lunæ orbis, qui fortassè urbi nomen dedit, non coit, sed sua, quasi cornua distendit. Nam, quos illic Josephus commemorat montes, longius absunt trans Jordanem, in ipsâ Arabiâ, nimirum quos vocamus, Abarim, Phasga, Nebo, etc., de quibus erit suus dicendi locus. In pede ejus montis, qui ab occidente Jerichunti propè

adjacet, vulgus Quarantanam vocat, à Christianis datâ appellatione, propter dies 40, quos in eo Christus memorabili suo jejuniò consecravit: in ejus, inquam, montis pede, quâ parte orientem spectat, scaturit fons ille ab Elizæo nobilitatus, mutatis aquis deterrimis in salubres. Erat autem is quidem etiam olim extra veterem urbem, ut ipsa docet sacra historia, quæ vatem egressum memorat, cum emendatum fontem iret; verùm propius multò aberat, quam nunc ab illis abest adiculis, quæ pauca, in exigui pagi modum substructæ, pro Jerichunte visuntur. Est autem ille aquis tam uber, ut molam impellat, decurritque exiguo alveo versus orientem, præteriens Galgala à dextris, hoc est, à meridie; ac tandem à Jordane exiit. Sed olim ab incolis in varios paradisos per elices derivari solebat, et penè totus absumi. Præstantissimos enim, ut testatur Josephus, et densissimos locus ille hortos præbebat, palmetaque educebat nobilissimas. Nunc loco deserto rivulum vix ullus impellat hortus.

Abesse scribit Josephus Jerichunta ab Jerosolymis centum quinquaginta stadia, ab Jordane verò sexaginta; sed hæc via æqualibus facilisque est; illa acclivitate multâ et declivitate etiam difficilis et molesta. Sed Talmudici eo libello quo de die, quem propitiations vocant, tractant, longius intervallum ab Jerusalem ad Jerichunta statuere videntur, si mendosi non sunt libri. Dicunt enim esse decem מילין, quasi parasangas dicas. Parasangam autem definit R. Salomon, Talmudis explicator apud Judæos primarius, quatuor millibus passuum, quantum spatium nostræ milie germanicæ ferè continent. Græcis tamen videntur aliquantò breviores fuisse parasangæ; atque stadia duntaxat continuisse 29 et insuper aliquot pedes, si quis ea expendat quæ apud Xenophontem sunt, libro 3, de Cyri junioris ascensu in Persidem, si modò Xenophon ejus historiæ scriptor est, et rursus in ejus operis extremo. Sed neque stadia Græcis Latinisque paria sunt. Quare non pergam ista disputare acutiùs. Nostris seculi homines certè consentanea Josepho magis, quam Talmudicis, de eo spatio ad nos referant, postquam ea loca religionis ergo inviserunt. Si quis autem plura de Jerichunte aveat scire, si illos, quos nuper dicebam scriptores, in primis Josephum dico et Strabonem, ipsos audiat.

Porro in sacro contextu sequitur: *Et profecti venerunt in domum mulieris meretricis etc.* Nihil

publici consilii principibus ad rem communem vel rectè constituendam, vel benè constitutam conservandam esse utilis, quam si iis quos sub imperio habent, ex animo parentibus utantur. Quâ in re Josuam nostrum, ut ubique, ita hæc quoque appareat miracè fuisse felicem, cum duo isti viri promptè capitalibus se periculis obliciunt, simul atque ab imperatore seorsim sunt moniti. Neque enim homines cordatî, et perspicacis ingenii, quales speculatum mitti solent, potuerunt non existimare, intentissimos esse hostes, ad quos properabant, ut ne quis ab adversario exercitu, præsertim recentibus duorum regum maximorum everisionibus terribili, suas ipsorum res exploratum impunè veniret. Et tamen videmus illos ne hiscere quidem adversus imperatoris jussa, sed et cautè, et fideliter, quod in mandatis acceperant, exsequi. Fidem enim ex iis, quæ reversi exponunt, perspicere licebit. Ad cautionem pertinet, quod se in obscurum abdunt locum, et ab hominum frequentiâ remotum. Hærebant enim domus Rahab ipsis mœnibus urbis, aut potius inædificata muro mœnium erat. Et solebant ganæx, receptis unis amatoribus, liminis observatâ tabella, ut Catullus testatur, haud patere alios. Quare facile illi se laturos inibi sperabant, usque eò, dum aliquid resicent earum rerum, quantum causâ venisset. Nam quod Judæorum plerique hoc loco vocabulum זונה *Zona*, non meretricem, sed mulierem hospitum interpretantur, valde profectò falluntur, cum se id chaldæo auctore putant facere. Convertit quidem ille, זונה פרוציתא quasi *prostitutio*, aut *prostitutio*, dixisset (utuntur enim sæpè Chaldæi græcis vocibus), sed ut impuram meretricis nomen vitaret modò, pudicisque pareoret auribus, non ut rem ipsam dissimularet, atque pro muliere meretricis, tabernariam induceret. Nam plerisque etiam aliis locis idem ab illo, verocundæ gratiâ, factum esse constat. Ut enim hic, זונה פרוציתא, ita illi, זונה פרוציתא, quasi dicat *prostitutem*, et quæ se intra ædes continere nequit, sed continuo pro foribus est; alibi זונה פרוציתא vagam, oberrantem; interdum זונה פרוציתא fallacem, solet per hebræâ voce, זונה *Zona*, dicere; at זונה פרוציתא, hoc est, meretricem, vix semel, iterumque. Cæterum meretricem fuisse Rahab, testatum satis nois est sacræ litteris. Neque ipsa, dum suis omnibus necessariis atque familiaribus saltem pacificetur, mariti meminit. Quin ipsi etiam Talmudici totis quadraginta annis, quibus Israelitæ, post relictam Ægyptum, oberrârunt in deserto,

corpus illam questui habuisse, prodiderunt, et quidem ex quo annos nata fuerat decem. Jam verò quinquagenariam tandem meliora consilia cepisse. Cujus rei fides penes illos sit. Certè si Salmoni aliquando nupsit Davidis abavo, quod nostrorum quidam opinantur, sed nominis solà similitudine, conjecturà non satis bonà, ducti, ut multò nata minor fuerit est necesse. Sed enim cupiunt, opinor, Judæi, dùm à prostibulo abhorrent, vel speculatorum famæ consilere, quos turpe fuerit divertisse in ganeum; vel ipsam Rahab, tantà prudentiâ, animique fortitudine ornatam feminam, ab illâ tali infamità vindicare. Atqui haud illi sive libidinis explendæ causâ, sed ejus quod sibi datum erat negotii conficiendi, fornicem subierant; ista verò clementissimi Dei gratiam omnibus seculis tantò illustriorem reddidit, atque etiam ipsos cœlestes choros eò majore gaudio exhilaravit, quantò vitia impuriore cum virtutibus majoribus commutavit. Sed de Rahab mox plura.

Illud, et *cabaverant ibi*, significat ipsos illic divertisse, tanquam pernoctandi, quietisque capiendæ causâ. Aut eò spectat, quòd sub lino jacentes, ad somnum se composuerant. Verbum enim *כָּבַד* et jacere, et quiescere significat. Illam sententiam secuti videntur Septuaginta, qui interpretati sunt *κατέδρασαν ἐκεῖ*, ut habent boni atque emendati codices, hoc est, illic tanquam in diversorium se receperant. Quamquam *κατέδρασαν*, quod in vulgatis libris habetur, haud absurdum est, si absolutè, pro *ἀνεπαύεσθαι*, putemus esse scriptum. Neque enim illi interpretes admodum sunt religiosi in verborum græcorum usu. Est quidem *כָּבַד* concumbendi aliquando verbum, verùm in aliâ verborum colloccatione junctioneque.

VERS. 2. — ET DICTUM FUERAT REGI JERICHO-NTIS, etc. Boni atque industrii principis est, quovis quidem tempore passim habere suos oculos, suasque aures, non modò ut eorum quæ scire opus sit, certior fiat, et tanquam deus aliquis omnia circumspiciat, intelligat, animoque et cogitatione expendat, et proinde omnia gubernare meliùs rectiusque possit; verùm etiam vel multò magis, ut omnes ubique parentes, illum quasi præsentem revereant, neque aliquid vel dicere, vel patrare audeant, quod publicæ rei sit damnosum, eo cuncta tanquam vidente atque audiente. Sed in bello illud est cum primis necessarium, quando non minis ab intestinis proditoribus, atque ab externis speculatoribus periculum esse sæpè solet. Verùm hoc interest, quòd, pace quidem,

illiusmodi emissarii, quos Greci *ἀποκρίται*, et *κατόπται*, vocant, nisi privatâ principis libertate parentur, et certâ præmiâ propositâ spe, haud ferè multi, neque ita satis fidi, certique inveniantur. Nolim enim existimare aliquis, me de improbis calumniatoribus loqui, quos magnâ profectò penâ dignos censeo; tantùm abest, ut principis beneficentiâ sustentandos, aut invitandos putem. At bello, quia communis civium aut perniciës agitur, aut salus, pro se quisque ultrò, quæ suspecta vel videt, vel audit, ea ad magistratum studiosè diligenterque refert. Non est ergo, quòd Jerichontium reguli laudemus hic industriam, quem ne in abditissimo quidem recessu latere dùm poterunt hi speculatores nostri. Credibile est enim ipsam, ut Balthazarem illum Babylonium, in consensu delictis etiam tum, per summam veordiam, securè versantem; cœlesti decreto, atque impendenti sibi suisque exitio minime obstâsse; sed continuò magis magisque Dei adversus se iram provocasse; illos verò à civium trepidâ sollicitudine proditos esse. Nam si quid in rege ipso sanæ mentis, aut vigilis cura fuisset, profectò dispositis custodibus, nulli suspecto aditum permisisset ad urbem, cum ex professo Chanaanais infensus exercitus, præsertim multis tum victoriis, tum miraculis formidabilis, tam propè abesset. Deinde etiam flumen transuenti multitudini suas, sociorumque suorum copias opposuisset. Nuntiantur autem noctu advenisse, quia credibile est, sub noctem tandem, aliquo indicio cognitum esse ipsorum adventum, atque è vestigio quidem rem ad regem fuisse delatam; sed hujus socordia, quam modò dicebam, evenisse, ut Rahab illos occultandi tempus haberet, cum ipse in medio luxu iterùm atque iterùm interpellatus, vix tandem, ut apud Rahab quaererentur, suis satellitibus et ministris mandaret.

VERS. 3. — EDUCITO VIROS VENIENTES AD TE, QUI VENERUNT IN DOMUM TUAM. Septuaginta interpretes, prius illud, *venientes ad te*, ut vitarent, opinor, *καταλέγειν*, omiserunt. Ego suspicor id à superbis aulæ ministris, et contumeliosis, vel ab iratis etiam civibus, de venereo congressu dici, atque in mulierem, cateroqui famosam, ingeri. Sic enim *veniendi* verbo utuntur Hebræi. Talis namque etiam est illa oratio 2 Reg. 5: *Quare venisti ad concubinam patris mei?* et alia non pauca in sacrâ historiâ. At objicis mihi ipsam Rahab quæ mox eisdem verbis respondet: *Venerat ad me viri;* neque enim est verisimile eam, quamvis mere-

tricem, tam apertè turpitudinem fateri. Atqui cum ambiguum, ut dixi, verbum veniendi, apud Hebræos sit, muliebris verecundia erat, quod à petulantibus nebulonibus turpiter dictum fuit, simulare ut non turpiter dictum se id accepisse. Si quis tamen existimare malit, usitatam alioqui in sacris litteris, *καταλέγειν* esse, non contendam contra. Nam participia illa, quæ Hebræi vocant *Benonim*, ejusmodi est hic *Baim*, venientes, sæpè nominum vicaria sunt, nullaque presentis temporis significatione determinantur, ut jam hoc loco pro, *venientes ad te*, reddere, *hospites tuos*, possis.

VERS. 4. — SED ACEPERAT MULIER IPSOS DUOS VIROS, etc. Ipsa narrationis series non obscure indicat, exploratores, paulò postquam ad Rahab divertissent, fuisse ab eâ subducos in tectum, atque occultatos sub lino. Quippe mulier, vel ex mussitantibus vicinis, vel alio indicio, conciens delationem, cum metueret inquisitionem, eos viros ex quorum salute suam quoque, et domus suæ universæ salutem pendere, cœlesti impulsu permota augurabatur, conservandos sibi aliquæ esse ratione staturat. Itaque cum impendens periculum ipsis pateficescit, facile persuasit, ut in solarium subirent, instratoque lino tegi se paterentur, atque interea se confirmat ipsa, comminaturque, quo astu fallat inquisitores, si veniant.

Sed cur non illic emittelat per fenestram? Neque enim aliâ quibat extrudere, jam tum obseratis urbis portis. Responsio expedita est: verebaturne subito inquisitorum interventu oppressa, priusquam demitti ambo possent, et sibi, et illis certissimum crearet exitum. Ceteram, accipere, Hebræi sæpè, pro, secum ducere, dicunt. Id ergo hic est, *accepit*, quod paulò post, *subduzerat*. Quod reddidi, *occultarat utrumque*, est hebræicè, *occultarat ipsam*. Eum autem numerum singularem putat R. Salomon et mulieris in occultando festinationem, et loci, quo abdebantur, angustiam significare. RR. verò Kimhi et Levi, non eodem uno illos loco, sed seorsim quemque collocatum esse, ne vel ambobus instratum linum exstaret altius, esseque suspecta ipsa eminentia, vel simulambo detegerentur. Quam sint ista firma, judicet lector: hoc certum est, hujusmodi numerorum enallages sacris litteris esse usitatas, et perlungue ab Hebræis interpretari solere de utroque eorum, quorum mentio est. Nam quod commentario, quem *Tanhuma* diximus vocari, proditur, judaicum est somnium.

Nempe, ut Calebum abdidisset mulier, alterum Phineen ad illam dixisse: *Ego sacerdos sum*. Sacerdotes verò, quippe angelorum similes, si volunt, aspectabiles sunt; si nolunt, non cernuntur, itaque illum solum, non autem hunc ab eâ abstrusum esse.

Sed expendamus cutissimum, summoque artificio contextum mulieris responsum, quo et inquisitores elusit, et sibi hospitibusque suis vitam servavit. Prius: *Ita est*, inquit, *venerat ad me viri*. Simpliciter et apertè, nihil tergiverzata, nihil secum dubia mussans, aut perplexa hæsitans (nam dubitatio cogitationem significasset mendacis fraudisque), id quod intelligebat se conciens sibi vicinis negare non posse, fatetur: eaque tam liberali, ingenidum, promptique confessione fidem sibi maxime præstruit, ut ea quæ deinde est dictura, persuadeat facilis. Jam verò quod addit: *Sed nesciebam unde essent*, non proditorum atque delatorum hospium culpam, cum primùm ad se fuissent ingressi, ab se amolitur. Nam hostium et malefactorum hominum receptatores occultatoresque jure illorum crimina sustinent, sed ita demùm, si consensu fuere. Quid enim illud culpes, qui probum virum quem putabat, exceptit improbum; aut quem amicum, hostem? Postquam verò et clarâ veritatis professione fidem et conscientie dissimulatione civis probæ opinionem de se illis fecit, pergit audacter ad cætera, in quibus totius cardo actionis versatur.

VERS. 5. — CURQUE, INQUIT, CLAUDENDA ESSET PORTA IN TENERIS, VIRI ILLI EGREDIEBANTUR. Facile intelligebat, illos, in nullâ tam angusti gurgustio si parte, diù latere posse, si quaererentur: hoc igitur agit, ut ab suâ domnenâ inquisitionis periculum amolitur, atque hic ne vicinorum redargui possit testimonii, suam tenebris involvit, obtegitque fallaciam. Et verò quid credibilis dici queat, quam viros speculatores è mediis se hostibus per tenebras propiuisse? Sed enim illud observandum est, quod ambigè dicit, egressos esse, neque addit, an suâ domo, an urbe; cæteram temporis claudenda portæ mentionem facit, ut questionum animis opinionem afferat, verum illos profugisse, ad suos versus. Cur autem ista sic dicat mulier cautissima explicabo, ubi admonero, katum non satis apertè, ut videri, conversisse: *Cum porta clauderetur in tenebris*; in quo secutus est septuaginta Interpretes. Neque enim hoc dicit Rahab, tum illos exivisse cum porta clauderetur. Sic enim in janitores, qui clauderent incidissent. Verùm,

ubi tempus claudendæ portæ adesset, ut explicat Chaldeus est interpretatus.

Jam verò prosequitur Rahab, atque: *Virum non noscì quò obierint viri*; hic igitur patet, cur ambigè dixisset, egressos esse. Perseverat enim quod ante dixerat: *Sed nesciebam unde essent*, hoc est, se illos ne per suspicionem quidem pro speculatoribus, aut Israelitis habuisse, ut quos neque pro foribus suis, ne dum ad urbis portam usque sit prosecuta oculis. Nam in quos talium rerum suspicio convenit, eorum solemus actiones viasque omnes observare. Ad hoc, credibile est, ut est istius femine acumen admirabile, vel ideò quoque incertis relinquere eam voluisse inquisitores, quo illi se convertissent, ut eò facilius simul omnes ab sua domo ablegaret, dum divisi, alius hinc, alius illuc Hebræos insequerentur. Tandem verò suam fallaciam eo fine concludit, quàm si aprior utiliorque alius excogitari queat, cum ait: *Insequimini celeriter ipsos; comprehensuri enim estis eos*. Nulla enim ratione alia se melius omni societatis et conscientie suspicione absolvere atque expedire poterat, quàm si captos, ut communes patriæ hostes, cupere vehementer se simularet. Neque acrioribus stimulis quesitores procul à suis ædibus abigere, quàm si illorum assequendorum comprehendendorumque spe incenderet. Atque hæc quidem fuit cautissima astutissimaque femine ad eos, qui ab rege missi erant, responsio, per quam responsum an et prodicionis, et mendacii culpam in se admisisset, disputare paucis non erit abs re. Videtur enim eos, per mera mendacia oculere, quos patriæ civibusque suis exitium machinari non nescit. Sed prodicionis quidem accusari meritò posse, mihi certè non videtur, quæ nihil aliud, quàm quos exceperat hospites, eos, non ut patriæ per injuriam noceant, sed quò salvi ad suos queant reverti, non dedendos regi, sed dimittendos sibi statuit, cum intellexeret, illorum ut neque vitam exitio, ita neque mortem salutis patriæ futuram; quippe cælesti afflatu presagens urbis excidium, quod ei impendebat, quidquid tandem istis hominibus fieret. Hoc enim illud est, quod dicit: *Scio quòd tradiderit Jehova*, hoc est, verus Deus, vobis terram. Imò verò si hospites istos suos illa indicasset, turpique tyranno objecisset, tum certè prodicionis culpâ gravissimâ se devinxisset, qualis Moabitas acerbè accusat Deus apud Isaiam c. 16, v. 2, 3, dum ironicè ad illos hujusmodi verba facit: *Abscende eos qui expelluntur; profugum ne prodas; maneant*

apud te exules mei; à Moab, esto latibulum adversus populatorem. Cum enim jam tum sciret, certa que esset, gentem suam à Deo ipso esse proscriptam, atque Israelitis cum suis possessionibus deditam, non debuit, neque potuit etiam, nisi improbè, vel patrocinari causæ injustæ, vel justæ adversari. Neque enim ulum necessitudinis vinculum esse tam magnum potest, quod adversus probitatis officia peccare virum bonum rectè cogat. Aliud esset statuendum, si illa mercedis gratiâ eos hostes suo regi, civibusque suis eripuisset, quos patriæ intellexisset fraudem moliri; neque tam bonæ causæ, Deique voluntati, quàm suis commodis subservisset. Tantum de prodicione, à quâ ego Rahab tam abfuisse longè censeo, ut si contra fecisset, civumque suorum causam, quam malam esse sciebat, jvisset, tum verò ei crimini obnoxiam fuisse dicerem. Cæterum mendacium, quo usam esse perspicuum est, plerique ut officiosum exesant, in quo Lyranum, post Origenem, à se habent. Sed quia hic locus est à divo Augustino ad Consent. cap. 15, prolixè et accuratè explicatus, atque pertractatus, quæ sit ejus tanti viri sententia expediam ejus ipsius ferè verbis, sed contractis atque adstrictis.

Illud, inquit, utrùm sit aliquando pro ejusquam salute mentiendum, cum quæstio sit, in quâ solvendâ etiam doctissimi fatigantur, longè illarum muliercularum (de obstetricibus hebræis in Ægypto, et de nostrâ Rahab loquitur), in illis populis degentium, et illis moribus assuetarum, excedebat ingenii modum. Itaque hæc earum ignorantiam Dei patientia sustinebat. Nam Rahab, cum illud officium, pro ejus vitæ conditione laudabile, exploratoribus præstabat, nondum erat talis, ut ab eâ exigetur illud, Matth. 5, v. 37: *Sit sermo vester: Est, est; non, non*. In obstetricibus autem illis hebræis, quamvis nondum reipsâ, at tamen se jam atque indole animus erat laudandus; qui non nisi eo proposito mentiebatur, ut prodesset alicui, noceret autem nemini. Sed cum quaeritur: Sitne hinc hominis aliquando mentiri, non de eo quaeritur, qui adhuc ad Ægyptum aut Jerichontem, vel Babyloniam pertinet, aut ad Jerusalem terrenam, quæ servit cum filiis suis, sed de civitate illius civibus, quæ libera est mater nostra in cælis, respondeturque, omne mendacium non esse ex veritate, atque de filiis hujus civitatis scriptum esse: *Non est inventum in ore ipsorum mendacium*. Itaque hos filios si quando ipsi, ut hominibus, obrepat quæcumque mendacium pro-

scere humiliter veniam. Cæterum neque illas obstetrices, neque Rahab, quia mentitæ essent, ideò beneficiis esse affectas à Deo, sed quia in Dei servos fuissent misericordes, neque fallaciam, sed benignitatem esse mercede compensatam. Neque iniquitatem mentientium, sed liberalitatem mentium. Hæc ferè Augustinus, et plura alia, eo opere, quod ad Consentium scripsit, propè totum hujus argumenti.

Rursus Questionibus in Exodum, de obstetricibus, et ipsarum mendacio verba faciens; « In conservandis, inquit, infantibus opus misericordiæ exercuerunt, at mendacio pro se utebantur, ne noceret ipsis Pharaò, quod potuit, non ad laudem quidem, sed tamen ad veniam pertinere. » Neque hic auctoritatem mentiendi propositam puto iis, de quibus scriptum est Apoc. 14, 5: *Non est inventum in ore ipsorum mendacium*. Quorumdam enim vita longè inferior, quàm pro sanctorum professione, si habeat ista mendaciorum peccata, proreptu ipso, et indole, feruntur; præsertim si adhuc circa terrena occupantur. Quorum autem conversatio est in cælo, non existimo eos lingue suæ modum, quantum ad veritatem attinget, illarum obstetricum exemplo debere formare. Fuit igitur, ut mihi videtur, Augustino ea opinio, ut existimaret, hominem perfectè probum nullo mendacio uti debere; omne enim mendacium esse in vitio ponendum, cum Deus ipsa sit veritas. Et tamen, quia officiosè mentiri, hoc est, ut per mendacium prosis alicui, nocæs nemini, maximam habet probitatis speciem, quam faciliè humanus animus misericordiâ permotus, sibi sequendam statuit, præsertim quando ex contrariâ veritate certum cuiquam periculum, aut incommodum iri creatum videt, ideò faciliè à Deo ignosci, iis maxime, qui ad consummatam virtutis illius exactissimæ sapientiam nondum poterunt pertinere. Adversus hanc acutissimam simulque sanctissimi viri sententiam, etsi nihil dicendum putem, tamen variæ illæ artes, quibus religione pietateque insignes homines sæpè in sacrâ historiâ usos legimus, aut ad Dei voluntatem exsequendam, aut ad pietatem exercendam, nullam verò cuiquam mortaliū injuriam inferendam comparatæ, neque veri doli, neque mendacii nomine, mihi quidem certè, videntur appellandæ quandoquidem sincerè simplicitati veritatisque usque adeò non adversantur, ut planè ad hæc ipsas virtutes vindicandas, obviandasque, nullo fallendî quemquam animo, usurpentur. Dum enim eorum, quibuscum

quod est, ejuscemodi est animus, ut ad id quod rectum est, non possint directò induci, si ipsos nemini noxiâ circuitione, atque anfractu, aut ad rectum percursum, aut certè à pravo aversum, non intelligo, qui magis adversus simplicitatem veritatemque peccemus, quàm si incurvatam arborem in partem diversam reflectamus, ut deinde recta evadat. Et profectò illis talibus artibus ita plerumque sanctos homines simpliciter et ingenuè usos esse videmus, ut dubitare non possis, quin cælesti impulsu ad eas sint adducti. Quod autem Deo auctore suscipitur, id cum ipsâ veritate, probæque simplicitate pugnare non potest. Quæ illud est, quod Israelitæ commodatî speciem opponere, atque ita Ægyptijs suâ suspellente spoliare jubentur; quam tamen fallaciam omnium detestabilissimam esse apparet. Sed de mendacio, doloque hæctenus. Nam exempla passim in sacris litteris obvia sunt.

VERS. 6. — AT IPSA ILLOS SEDUXERAT IN SOLARIUM, ET OCCULTAVERAT IPSOS, etc. Edes illis regionibus ita fuisse, constructas, ut solarius intenteretur quæ apud Italos vulgò *altana* vocatur, perspicuum est etiam ex Evangelij historiâ. Græcè δῆρα id dicitur etiam hoc loco à Septuaginta, hebræicè Gag. In eâ igitur domus parte Rahab sua lina ad solem exposuerat, quibus jam contigit hospites. Talibus enim usibus commodè partes illæ ædium serviunt. Sed quæ vocentur lina ligni, non est satis certum. Fortassis enim id limum sic appellatur, quod crudum adhuc et lignosum est, hoc est, de quo cortices et stipule nondum sunt stupario malleo, atque cruminatione decussæ depexæque. Solent enim lina, antequam tundantur, insolari. Nam et Septuaginta vocabulo λινωδῆμα quo hic utuntur, limum à suo calamo nondum detusum, videntur significare voluisse. Sed enim Latinus, non limum ipsum, sed lini stipulam interpretatur, vix ferri potest. Non enim scriptum est, פשתן לין, quod Latinus reddidit, hoc est, *lignum lini*, sed *lina ligni*. Neque verò cortices decussis solent reponi, sed in clybanos et furnos abjici, ut ait Plineus. Verùm neque illud absurdum sit, si ad limum significari existimemus, quod xylum, quasi lignum dicas, vocatur. Certum est enim eo fructue Syriam, Assyriamque abundare, quem alii gossipion, alii xylum appellant, ut ait Plinius, lib. 19, cap. 1. Sed ut est, aut mirum videri debet, si nomen פשתן lino attribuat, aut aliis plantulis, quæ in ulum modò ascendunt, neque arborescunt,

quando ipse etiam juncus aliquando arboris vocabulo appellatus est, ut ait R. David Kimhi in radicibus : Et hyssopus, quæ nascitur in parietinis, inter צפצף hoc est, ligna aut arbores nominatur, in Regum historia. Cæterum iste versiculus, quod strictim quarti versus initio dictum fuerat, id explicat dilucidius.

VERS. 7. — *ITAQVE VIRI ILLI INSEQUITI FUERANT IPSOS, etc.* Non indicaverat quidem Rahab, an urbe, nedum quâ portâ exivissent sui hospites; verumtamen ita inquisitorum animos spe illos assequendi incenderat, ut nullam sibi interponendam putarent moram, quin persequerentur, cum urbe profugisse, ex eo, quod illa indicabat, tempore conjicerent, atque ad suos versus revertisse. Erat autem, quantum apparet, fluminis certus locus, ad quem trajiciebant, qui alitrò citròque commeabant inter Jerichuntem et campos moabiticos. Chaldaeus pro: *Versus trajectum*, reddidit, usque ad trajectum. Idque approbat R. David Kimhi; contenditque רב יצחק interdum vicarium esse רב יצחק. Quod ut verum sit, non tamen satis ab illo adductis exemplis confectum puto. Est interim credibile, ad trajectum usque esse insecutos, ut vel illic tandem ab navibus imparatos assequerentur. Quod sequitur: *Claustrant autem portam*, stultè David Kimhi, vel ipsis speculatoribus, vel familiaribus Rahab attribuit. Cur enim illi portam clauderent, quibus eâ re nihil posset accidere incommodius? Est igitur hoc absque ullâ personâ dictum, quodam loquendi genere Hebræis usitato; rectèque cum à Septuaginta, tum à Latino, per verbum patiens redditum. Nimirum emissis aule ministris qui persequerentur, clausa obserataque est portâ à janitoribus. Cæterùm quia id constructionis genus, quod est in אֲנִי אֲנִי: *Id autem et postquam*, insolens est, ideò Aquilas Ponticus sic interpretatur, ut suggerat pronomen, quasi quod desit in hebræo, post illud, אֲנִי אֲנִי. Sic enim convertit hunc locum: *Και τὸν πῶλον ἐλάσαν ἰσθμῶν αὐτῶν, ὅς ἐξήλθεν ἐκ παραθύρων τοῦ οἴκου αὐτῶν, etc.* Verùm R. Isaias, vir sanè doctus, litteram, 2, *Caph*, in אֲנִי אֲנִי supervacaneam esse censet, et ut opinor, rectè. Nam nugas, quas David Kimhi adfert in medium, piget referre. Spectat autem hæc occlusa illic posset egressos persequentes portæ mentio, ad insequentem de fenestrâ narrationem. Nihil enim opus fuisset iis angustiis, si totâ nocte patuisset urbis fores. Simulque illustrat Rahabæ fidem sanctam, quâ ejus mulieris aliqui animus sustentatus, etiam tum, ut

apparet, perturbabatur. Expediverat quidem feliciter primam, si ita fas est dicere, fallaciam; atque inquisitionem cluserat, quam sibi propositam habuerat regis allegati; verùm ita, ut in multo jam majus inde periculum venissee videri posset, cum neque sibi, neque hospitiis ullum pateret effugium. Verùm cordata femina, nihil illis difficultatibus commovetur; sed ut certissima de illorum hominum salute, quos Deo omnipotenti curæ esse intelligebat, suam ab ipsis sibi salutem sedatè atque otiosè paciscitur. Nam ita habet historia.

VERS. 8. — *COMQUE HI NONDUM DORMIRENT, ILLA ASCENDERAT AD IPSOS.* Voculam אֲנִי interpretatus sum nondum. Sic enim sæpè usurpatur, præsertim cum verbo temporis futuri constructum, ut Genesi 2, 5: *Et nulla planta agri adhuc erat in terrâ; nec ulla herba agri adhuc germinabat.* Et in Regum historia, lib. 1, cap. 5, v. 7: *Et Samuel nondum agnoscebat Dimonium; neque adhuc patefactum ei fuerat verbum Domini;* cæteroque solet reddi, priusquam, vel græcè, πρὶν ἢ. Diximus ad quartum versiculum, existimare nos, in solarium esse subduetos à Rahab speculatores, paulo postquam ad eam divertissent, cum illa jam tum præsegit impendens periculum; videntur ergo illi omnium adhuc ignari, quæ cum regis ministris mulier egerat, sollicitè eventum expectare vagies. Eos igitur illa, ne diù sinat esse in metu, simulque ne rei maturè gerendæ occasionem amittat, atque à recurrentibus in urbem quæsitibus opprimatur: illic adit, demissa, in tempore, per fenestram, nocte intempesta. Non facit quidem historia narantem illis Rahabam quæcumque acciderant. Sed quis non intelligit multa insuper alia esse ommissa? Certè illa verba: *Quia usa sum erga vos pietate*, rectè significant, rem actam omnem, atque ad eò ipsam etiam demittendū consilium illis fuisse jam tum ab ipsa explicatum. Nam historia orditur apertè à medio sermone, cum sic habet:

VERS. 9. — *DIXERATQUE AD IPSOS: SCIO QUOD DEDERIT DOMINUS, etc.* Continente enim ista mulieris verba causam rei ab eâ actæ, ac si dicat: Jam verò quòd ego regis mei, meorumque civium partes deseruerim, vestramque vitam cum meâ vitæ summo periculo tutata sim, ideò est à me factum, quòd meos populares malâ, vestros bonâ causâ niti, certissimis indicis cognoverim; quippe cum nos ab ipso vero Deo, qui cæli terræque Dominus est, proscripti simus; vos contra, nostris possessionibus donati. Sed enim observanda est mulieris san-

cta fides pietasque, cum Dei singulare illud in Israelitis beneficium donatè illis Chananzæ, tantâ animi firmitudine complexa agnoscit, quantâ ipsi Israelitæ vix unquam potuere, quamvis certissimâ doctrinâ à majoribus ad se propagatum, atque tum à Deo, tum à Mose toties inculcatum. Neque enim cum Lirano sentio, qui verbum, *dederit*, per temporis enallagen, pro, *daturus*, sive *traditurus* sit, positum esse putat. Porrò reliquâ hujus versiculi parte affert Rahab causas duas, cur ita credat, hoc est, donatam esse Israelitis terram, proscriptis Chananzæ, cum inquit: *Et quia metus*, sive, *formido vestri incidit nobis.* Et *quia dissoluti sunt*, etc. Earum prior ab ipsis Israelitis potissimum, posterior à Chananzæis sumpta est. Ac si dicat: Quia vos divinitus terribiles, nos contra pavidi sumus. Divinitus enim ista accidere, facile erat ex virium utriusque partis comparatione existimare cuivis, nisi stupidissimæ fuisse turpitudinum et sceleratissimorum hominum mentes. Quæ enim aliqui causâ esse potuissent, cur Chananzæi, gens et numerosissima et ferocissima, atque in locis munissimis habitans, Hebræos, homines extorres, omniumque rerum egenos, et quadraginta annorum miseris insuper fractos atque enectos timerent? Nimirum illud erat, quod apud Mosen dixerat Deus Exod. 23: *Terrorem meum mittam ante te, et perturbabo omnem populum, in quem venturus es*, etc. Eum autem Dei terrorem divino afflatu illustratâ mentis acie videbat Rahab, neque eam cælestem gratiam aut per vecordiam negligebat, aut per impietatem repudiabat, aut denique per stultitiam, vel Pani deo, vel Fortunæ adscribebat; sed rectè apud suum animum inde colligebat, ratiocinabaturque, cujus numinis vi atque potentia Israelitæ tanto essent gentilibus suis Chananzæis terrori, quamvis armis viribusque longè præstantibus, ut se ipsi per metum, quasi quodam præjudicio jam condemnarent, ejusdem numinis consilium voluntatemque esse, ut hi possessionibus suis cedant, illi potiuntur. Sed verendum profectò est, ne ad Dei tribunal illud postremum egrege ista Rahabæ fides multos colligere impietatis adversus Deum, qui ne per sacrosancti quidem Evangelii præclarissimum lumen satis carnere, atque apud suum animum staturere possunt, fortunarum suarum omnium et letum, et adversum successum, ex Dei arbitrio pendere, qui cum sit terræ cælique Dominus, omnium possessiones in suâ manu habet, proque suo nutu justè aliis lar-

gitur, aliis auferat, atque omnino ut eterno suo consilio visum est, dispensat; cümque solus in hominum etiam animis dominetur, alios fiducia erigit, alios metu prosternit. Et proinde quidquid acciderit, in illius esse divinâ voluntate acquiescendum.

VERS. 10. — *ADVIDIMUS ENIM QUOD EXIGAVIT DOMINUS AGIAS MARIS RUBRI, etc.* Duo hic commemorat Rahab, quæ tantus ille popularium suorum metus est consecutus, alterum, sicutum mare Rubrum; et hoc quidem, quia naturæ modum excesserat, Deo apertè adscribit, non quidem ex eorum decorum numero cuiquam, quos gentiles sive colebant, sed Jehovæ; hoc est, vero Deo, à quo pendet rerum omnium, ut sic dicam, essentia. Hoc enim nomen proprium Dei, Jehovæ, significat, cum respectus ad res creatas habetur; cæteroque Deo ipsi impositum est, quia is unus per se ab æterno existit, ipseque sibi essentia est. Alterum, devictos delectosque duos reges Amorrhæorum, Schonem et Og. Sed hoc Israelitarum viribus attribueri videtur quidem, verùm reipsâ etiam Jehovæ assignat, cum eum esse Israelitarum Deum, et in celo terraque dominari profiteretur.

Atqui dicebamus modò, Rahabam animadvertisse, gentiliis suorum animis divinitus fuisse consertatam; nam verò videtur non arcanam quandam, et à Deo effectam mentium permotionem, sed conspicua miracula ejus tanti pavoris causas afferre. Verùm commemorat quidem mulier, quæ propaliam factâ fuerant miracula, tanquam principia et antecessiones quasdam, atque etiam, si ita vis, quâdam ex parte causas illius animorum consternationis; sed quis non intelligat ex iis, quæ proximo versiculo facit, verbis, eam sentire, unâ cum illarum rerum gestarum famâ, insolitum quendam et mirificum, longèque quàm pro illo nutu, et pro Chananzæorum strenuitate atque fortitudine, vehementiorem timorem animos omnium percussisse totâ regione? quippe ex quo non solum cederent, verum usque eò prorsus tanquam liquefacti diffuserint, ut colligere se denuò, sibique constare non possent. Erant quidem res illæ, quas commemorat hoc loco, maximæ, et quæ merito hostibus terrorem afferrent, magnum quidem illum, at non prorsus implacabilem, qualem describit Rahab. Nam nisi simul divinam quædam vis illorum mentem intus arcano metu tanquam stupore quodam non solum labefecisset, sed etiam abjectam pertinaciter tenuisset, multa